



Testament des Bischofs Walther auf der Flue 29. Juni 1482.

Walther auf der Flue, der am 20. Dezember 1457 zum Bischof von Sitten gewählt wurde, führte während eines Vierteljahrhunderts mit Macht und Geschick die Regierung des Walliserlandes. Er starb am 7. Juli 1482. Wenige Tage vorher verfaßte er sein Testament, dessen hauptsächlichste Bestimmungen in einem Folioheft im Staatsarchiv Sitten (C. II. No 40^b) vorliegen und folgenden Wortlaut haben:

34 In nomine S. et Individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Noverit modernorum præsentia et futuri etiam posteritas non ignoret quod anno mil. quatercentesimo octuagesimo secundo indictione vero quindecima et die quidem vicesima nona mensis Junii Seduni in castro Turbillionis in camera prope stupam ejusdem castri propter infrascripta feliciter peragenda fuit specialiter et personaliter constitutus Rev. in Christo pater dominus noster dominus Waltherus Dei et Apl. Sed. gratia Episcopus Sed., præfectus et comes Vallesii in misque notarii publici et testium infrascriptorum præsentia ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum. Quiquidem Rev. pater perpendens, quod corporalis ægritudinis vehementia solet plerumque a rationis tramite in tantum mentem avertere, quod nedum de temporalibus verum etiam de se ipso et anima quispiam disponere, ordinare seu providere non valet propter quod dum in mente sobrietas est in corpore quies melius et salubrius disponitur ac etiam ultimæ judicium voluntatis feliciter

ordinatur et quia nemo in carnem positus viam potest ultimi iudicii evitare in quo quilibet etiam de factis propriis redditurus est rationem. Ideirco idem Rev. pater considerans senectutem suam et juxta communem naturæ cursum mortem sibi appropinquare, malens sub spe mortis testatus decedere quam sub spe longioris vitæ decedere intestatus, in plena vita sua et compos sensuum suorum licet aliquo modo in corpore gravatus testamentum suum et ultimam voluntatem fecit, disposuit, condidit et ordinavit tam de anima quam corpore ac bonis suis per modum et formam prout in capitulis subscriptis singulatim describitur testando et disponendo non tamquam eps. Sed. sed tamquam præfectus et comes patriæ Vallesii jure præfecturæ et comitatus ac domini temporalis sibi in eadem patria competenti de rebus et bonis per ipsum inde acquisitis et in sua potestate existentibus et alias omni meliori modo, via, jure et forma, quibus melius securius et utilius tam de jure quam de consuetudine patriæ Vallesii fieri potest et debet.

Et primo animam suam, cum egressa fuerit a corpore suo Altissimo Deo Omnipotenti, ejusque Gloriosissimæ Genitrici Virgini Mariæ. S. Theodolo ejus patrono. SS. decem Millibus Martyribus, SS. Innocentibus, S. Vicentio, S. Barbaræ et toti Curie Cœlesti pie et devotissime recommendavit.

Item sepulturam suam sibi elegit in capella sua, quam ad laudem et honorem ejusdem gloriosæ virginis S. Barbaræ et SS. Decem Millium Martyrum in ecclesia cathedrali Sed. fundavit et dotavit de novo ¹⁾).

Item voluit et ordinavit, vult et ordinat, quod sepultura sua, septimus et trigesimus ejusdem fiant honeste et decenter secundum statum dignitatis suæ super vicualibus episcopatus et de bonis suis, si illa non sufficiant.

Item, quod aniversaria sua per ipsum fundata tam in Conches, Aragno, Morgia, Narres, Vespia, Leuca et

¹⁾ Bischof Walther gründete dieses Beneficium am 17. September 1471. De Riva3 Op. hist. III, S. 618.

in Seduno per modum et formam in litteris inde confectis descriptam perpetue celebrentur ¹⁾).

Item, quod Salve Regina in prædicta sua capella singulis diebus Sabati cantari ordinatum per modum et formam dictæ ordinationis et aliis diebus solemmniter decantetur.

Item, quia ipse Rev. pater ipsam capellam ita amplis redditibus, decimis, vineis et possessionibus dotavit, quod inde etiam duæ similes foundationes honeste dotari possent, ne igitur nimia pinguetudo in rectores ejusdem nimis abundet et ubi Dei servitus procurari deberet in peccatis reducat, voluit et ordinavit, vult et ordinat, quod redditus dictæ capellæ dividantur et una pars videlicet subscripta incorporaretur perpetuis temporibus capellæ altari S. Nicolai in ecclesia de Glisa fundati, reliqua vero pars, et quidquid de dicta foundatione superest, remaneat dictæ suæ capellæ novæ, ubi elegit suam sepulturam, ita et tali modo, quod in utraque capella sint duo rectores, qui inter se hebdomadas vel alias missas celebrandas dividant, ita quod quolibet die in utraque ipsarum missa sine defectu celebretur, et casu, quo de contrario facerent, eo casu hæredes ipsius fundatoris sine alia sententia et juris solemnitate ipsos privare possint de dictis capellis et alios ponere, qui ipsum officium divinum compleant secundum formam foundationis dictæ primæ capellæ novæ per dominos de capitulo landatæ, ejus foundationis capitula ipsi rectores præsentis et futuri in manibus collatoris jurare teneantur et illa observare et in contrarium non facere.

Item vult et ordinat quod perpetuis temporibus si aliqui sint de parentela consanguinitate vel cognatione ipsius fundatoris sacerdotes vel scolares per quos dictis capellis in divinis decenter deserviri possit, quod illis præ cunctis per collatores provideri debeat juxta modum et formam primæ foundationis dictæ capellæ novæ, quibus consanguineis et cognatis deficientibus provideri debeat de aliquibus patriotis ab aqua Morgiæ Contegii superius

¹⁾ Die Stiftung dieser Jahrzeite fällt in das Jahr 1472. Q. c. S. 620.

natis et oriundis pro illa vice, qua deficerent dicti consanguinei et cognati.

Item, quod disposita seu alienata per ipsum testatorem in præteritum per quoscumque contractus tam de bonis quam de redditibus et possessionibus quam de cæteris bonis mobilibus vel immobilibus firma et valida remaneant nec per suos hæredes aliquo modo infringantur sed observentur.

Item in vim libertatum civitatis Sed. et alias omni eo jure quo melius facere potest et debet, dedit et legavit, dat et legat idem testator Johanni, filio Henrici sui testatoris fratris, nepoti suo tres domos in civitate Sed., videlicet domum quæ fuit Roleti de Saxo juxta magnum pontem Sedunæ cum aliis duabus domibus citra et ultra Sedunam eidem affrontantibus et pratum Burroz situm juxta pratum fori.

Item dedit et legavit in vim libertatis civitatis Sed. Georgio et Walthero Supersaxo fratribus pro indiviso domum suam novam, quæ prius fuit Antonii Sterren, Michælis de Simplono et quondam Petri Magi juxta domum domini Petri Cochardi, canonici Sed. et juxta casale Egidii de Prato notarii et dicti quondam Petri Magi cum juribus et pertinentiis suis universis proviso eo quod nullus dictorum fratrum Georgii et Waltheri possit neque valeat vendere vel aliter alienare partem suam dictæ domus sibi competentis quæ remaneat ipso facto alteri non alienanti.

Et si ille venderet remaneat ipsa domus et pertinere debeat aliis veris hæredibus ejusdem testatoris, quoniam ejus voluntatis est quod hæredes et consanguinei sui proximiores pro futura memoria dum venerint Sedunum habeant unam domum, in qua se reducere possint.

Item voluit et ordinavit, vultque et ordinat, quod omnes libri sui testatoris theologales et sacram theologiam concernentes dividantur in duas partes æqualiter inter dictas duas capellas de Seduno et de Glisa, in quibus capellis stare et permanere debeant perpetuis temporibus sine alienatione quacumque. Quod si secus factum fuerit per rectorum aliquem dictarum capellarum

privetur ipso facto omni jure sibi in dicta capella competenti. Cæteri vero libri juris, sicuti decretum, decretales, sextus et clementinæ et cæteri quicumque jus canonicum et civile continent, sint et remanere debeant penes prædictum Georgium, qui dictis libris uti possit ad libitum citra tamen ipsorum aliquam alienationem. Qui si habet filium vel consanguineum adeo doctum quod ipsis libris indigeat et opus habeat dictos libros juris relinquere debeat sibi pro illis bene utendo, alioquin præmissis deficientibus ipsos libros voluit dividi et remanere debere prædictis capellis cuilibet pro dimidia parte absque alienatione qualicumque perpetue sub pœna prædicta.

Item dedit et legavit eidem Georgio Supersaxo commissionem et confiscationem omnium et singulorum bonorum¹⁾ et omnium aliorum pro crimine hæresis in valle Anivisii justiciatorum sibi domino episcopo tamquam domino temporali dictæ vallis et jure domini temporalis confiscatorum et commissorum tali modo, quod ipse Georgius debeat prosequi et defendere causam in Tharent. inchoatam sumptibus suis propriis et hoc facit, quia ipse Georgius magnos labores et expensas habuit et sustinuit circa inquestas et processus dictorum damnatorum. Ita tamen, quod si dicta commissio et bonorum confiscatio sibi pacifice remaneat, debeat quolibet anno cum effectu solvere et realiter expedire prædicto Walthero fratri suo et post suum decessum suis hæredibus triginta sextaria vini boni et receptabilis anualia²⁾.

Item dedit et legavit prædicto Johanni nepoti suo videlicet domum et medietatem balnei et alia acquisita per ipsum dominum testatorem in balneis vallis de Bœz (Leukerbad), ita quod proprietates eorundem sua sit, usufructus vero eorum sit et remaneat Georgio et Walthero prædictis et ipsorum hæredibus et liberis in legi-

¹⁾ Hier sind zwei Namen ausradiert.

²⁾ Zwei Tage vor vorliegendem Testament hat Bischof Walther in feierlicher Urkunde alle Verhandlungen, Übereinkommen und Verträge, die Georg Supersaxo betreff Hinterlassenschaft von Verurteilten getroffen, gutgeheißen. Staatsarchiv Sitten C. II Nr. 40³.

timo trunco plantatis et ne proprietas sibi Johanni red-
datur inutilis sed in aliquo fructuosa voluit et ordinavit
idem testator quod tam dictus nepos suus, ejus uxor et
sui decedentes ab eisdem seu ab eodem Johanne legi-
timi et naturales possint et valeant prout sibi placebit
sine aliquo salario solvendo in dictis balneis balneare
et in dicta domo pro tempore quo balneabunt locum ho-
nestum et condecentem sine costu seu salario habere.¹⁾

Item dedit et legavit domino Nicholao canonico Sed.
et Johanni Supersaxo nepotibus suis Georgio et Walthero
fratribus prænominatis videlicet cuilibet ipsorum tres
cupas argenteas de melioribus ipsius testatoris.

Item mobilia, vasa stanea, lectos, culcitras, que non
sunt in inventario mensæ episcopalis, dedit, donavit et
legavit prædictis Georgio Walthero fratribus et Johanni
nepoti suo prædicto æqualiter dividenda cuilibet pro
tertia parte pro suarum domorum munitione.

Item voluit et ordinavit idem testator, quod die sui
obitus vel sepulturæ suæ vel septimi induantur de panno
communi patriæ quinquaginta pauperes personæ magis
indigentes de civitate Sed. et cuilibet ipsorum detur
unus grossus amore Dei, qui omnes ipsa die debeant
cum dictis vestibus vestiti et capuceo præsentés fore
in ecclesia in commemoratione fienda in sepultura dicti
testatoris et faces quæ pro sepultura offerentur in ma-
nibus tenere et Deum omnipotentem pro remedio et sa-
lute animæ ipsius testatoris pie exorare.

Item et quia supra facta est mentio de redditibus
et emolumentis inter capellas ipsas dividendas posuit
et ordinavit idem testator, quod illud remaneat et sit
in arbitrio executorum sui præsentis testamenti subno-
minatorum, ita tamen, quod melior et major pars rema-
neat et remanere debeat dictæ novæ capellæ S. Barbaræ
propter sepulturam suam ibidem fiendam.

In cæteris vero bonis suis quibuscumque, de quibus
supra nichil ordinavit neque disposuit sibi hæredem suum

¹⁾ Walther kaufte diese Rechte in Baden 1477 von den Erben der
Herren v. Raron. Furrer II. S. 106.

universalem instituit et ore proprio nominavit prædictum Johannem ejus nepotem, per quem hæreditaria onera tam ad causam præsentis testamenti quam alias sibi testatori incumbentia vult et jubet persolvi ac de illis satisfieri exceptis illis de quibus supra specialiter et expresse nominavit cum onere et honore totius hæreditatis. ¹⁾

Executores vero præsentis sui testamenti et omnium et singulorum contentorum in eodem specialiter elegit et nominavit venerabiles viros dominos Petrum Bartholomei et Hilprandum Fabri, canonicos Sed., prudentesque viros Theodulum in Agris, ballivum patriæ modernum, Joh. Asper notarium, Georgium Supersaxo prænominatum, Johannem Brunlen et ipsos omnes insimul, etc.

Et fuerunt in prænominato testamento præsentis subnominati videlicet venerabiles domini et discreti viri Martinus Sostionis, vicarius prælibati Rev. d. epis. testatoris, Leonardus Præpositi, canonicus et officialis Sed., Johannes Albi, presbyter capellanus prælibati R. d. testatoris, Petrus Dominarum de Leuca, Johannes Asper de Sausa, commorans Brigæ, Jacobus Bosoni de Magy, Petrus Guissen, habitans Sirri et Antonius Vullienci de Leuca, omnes publici notarii Sed. diœcesis, qui eundem testamentum receperunt seque quilibet eorum propria manu subscripserunt octoque sigillis cum cordulis appendentibus communierunt.

¹⁾ Troß dieser Bestimmung, die Johann Supersaxo zum Universalen einsetzte, erhoben sich sofort nach dem Tode des Bischofs ernste Anstände zwischen genannten Johann und Georg Supersaxo. In einem freundlichen Uebereinkommen vom 25. Juli 1482 sah sich Johann Supersaxo, Kastlan von Grimsuat, gezwungen, den Georg zum Miterben anzunehmen und mit ihm die Hinterlassenschaft des Bischofs zu teilen. Staatsarch., I. c.